

HÆRESI

IN GENERE

DISPUTATIO THEOLOGICA
QUAM

Divinâ gratiâ clementer annuente,

Cum consensu & Adprobatione

Rev. & Amplifs. Facultat. Theolog. in
Regiâ Universit. Aboënsi,

P R Æ S I D E

NICOLAO TUNANDRO

S. Theolog. Prof. Ord.

Publicè defendendam suscipiet

AARON L. ROSELIUS

Wiburgensis.

In Auditorio Majore d. 12. Decemb.

ANNO SALUTIS M. DC. LXXIII.

A B O Æ,

Impressa à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

M. L. L. L.

H E R E S I

I N G E N E R E

D I S P U T A T I O T H E O L O G I C A

Q U A E

Divina gratia clementer approbata

Cum consensu & Approbatione

Magistri Theologiae Doctoris in

Regni Universitatis Altorfensis

P R A E S I D E

N I C O L A O T U N A N D R O

Magistri Theologiae Doctoris

Publice defendendum habebit

A A R O N I R O S E L I N S

Magistri

In Auditorio Majori d. 12. Decembris

Anno Salvatoris M. DC. LXXIII

A B O E.

Impressus à Petro Hansonio, Acad. Typog.

quamvis non ignoremus, esse quosdã qui sufficere heic volunt *errorem, contumaciam & convictum esse.* Quin-
què autem illa posita requisita, nobis quia placent, atq;
ad plenam hæreses, Novi quidem Testamenti, expo-
sitionem, adesse debent, per eadem etiam naturam
hæreses constituimus evolvere.

§. XXII.

In intellectu hominis initium accipit Hæresis, cum subjectivè de ea agimus, quamvis ibi non consummetur & perficiatur, proindeq; Errorem appellare volumus; Est autem error in genere, *Existimatio veri pro falso, aut falsi pro vero:* Nam qui falsum putat verum esse, & quod est verum, putat falsum, hunc errare dicimus. Atq; in hac quidem materia, in qua nos nunc versamur, *fidei contrarius* esse debet error. In Scientiis enim aut opinionibus errantem, (ad quas, Arist: fidei ignarus, omnem intellectivã facultatis operationem retulit lib. 6. Mor. c. 2. adde Rach: probab. Jesuit. c. 4.) hæreses labe contaminari, non dixeris.

§. XXIII.

Quamquam autem hæresin Errorem fidei contrarium heic statuamus, an tamen omnis ejusmodi error pro hæresi tantùm habendus sit, dubitare possis; cum sint aliqui ita crassi ita absurdi ut adversus fidem licet tendant, ad paganisimum tamen verius quàm ad hæreses referri debeant. Huc pertinent *Valentiniani*, pro uno Deo, fabulam prolixam de triginta Aeonum seu seculorum, tanquam Deorum, generatione sub-

stituentes; ubi tam nascentes quàm generantes & nubentes longâ serie finguntur Aëones; Quam & impietatem & stultitiam, Tertullianus non frustra majorem esse dixit illâ, quæ vel in Hesiodi theogoniâ, vel in Ovidii metamorphosei reperitur. Tales quoq; fuerunt *Cerdon & Marcion*, duos Deos, unum Creatorem omnium, sed justum ac sævum, qui in V. Test. sit revelatus: Alterum Patrem Christi, facilem & mitem, in N. Testamento manifestatum, introducentes. Quibus addi possunt Manichæi, Samosatheniani & alii nihilo his meliores. Quos tamen, ut diximus, non injuria, ad aliam potius infamem reduceres classem, quàm ad Hæreticorum. Et ideo etiam Apolog. Aug. Confess. ad Art. 1. non dubitavit hos tales, circa dogma de uno & vero Deo, ita crassè errantes, extra Ecclesiam Christi atq; ad idololatrias relegare. Accedit etiam, quod iidem, ipsam quoq; sacram Scripturam ex parte rejecerint, quippe Vetus Testamentum, tanquam à malo Deo profectum, ut plurimùm reprobaverunt, & Novum, pro lubitu, quidam diminuerunt. vid. præter alios, Horn. Hist. Eccles. lib. 2. cap. 3. Jure ergo tam Sonticis gravibusq; causis inducti, videmur ambigere, an hi tales, commodè satis sint inter Hæreticos computari. Interim, quia sic visum fuit antiquis, & idem fortassis videtur hodieq; aliis; si itaq; molestè quis tulerit, motam hæc esse à nobis *questionem status* tam impiis hominibus, nec huic pertinaciter repugnabimus, nec illis tantùm honorem invidēbimus. Hoc tamen urgemus, Apologiam Aug: Confess: non gratis eos extra Ecclesiam Christi reieciisse, & expressè cum idolo-

idololatriis conjunxisse, ut ut partem scripturarum sacrarum & aliquos etiam Articulos fidei retinuisse eos, probè sciverit. Nimirum, servant & Judæi hodieq; Vetus Testamentum religiosissimè; Aliquos item fidei Articulos ad salutem necessarios, puta de *unitate Dei*, de *Mortuorum Resurrectione*, & *vita aterna* &c. nobiscum habent communes, nec tamen quisquam ideo Hæreticos eos dicere voluerit, aut infideles esse & idololatrias rectè negaverit. Joh. 8. 9. *Qui filium non habet, h. e. non agnoscit, confitetur & colit ut colendus est, is nec patrem habet.* Et *qui spiritum sanctum non habet, is nec filium habet* Rom. 8. 9. Adeoq; qui vel unam Personarum S. Sanctæ Trinitatis inficiatur, à fidei salvificæ objecto aberrat, mentis quoddam idolum colit, estq; idololatra. Ubi tamen discrimen omnino faciendum volumus inter veteres & posteriores Judæos: Veteres enim Articulum de DEO exposituri, non tantum trium facierum, corollarum, & basium fecerunt mentionem; sed & plurim Veteris Testamenti loca, clarè satis interpretati sunt, facemq; orthodoxis contra recentiores populares suos præbuerunt. Quod ergo D. Hottingerus in Compendio Theolog: Jud: cap: 4. Sect: 6. scripsit, *quæ ex eorum scriptis pro S. Sanctæ Trinitate offeruntur, suspecta merito esse debent*, non possunt, nec debent de antiquissimis Judæis intelligi, sed ut diximus, de posterioribus.

§, XXIV.

Præter enumeratos hos, fædissimè errantes, sed à nostris temporibus adeò remotos, alii etiam reperiuntur

untur nobis coævi, de quibus idem quod de superiori-
bus, videtur esse statueudum: Nempe, quando erro-
res eorum fidem oppugnantes, prorsus sint abominas-
biles, illos pro Christianis vix esse habendos, & quate-
nus ita errant, nec Hæreticis annumerandos. Et huc
quidem adducimus Socinianos, de quibus ut ita sentia-
mus, rationes adsunt nec paucæ nec leues. Hi enim,
cum quædam dogmata Christianorum maximè prin-
cipalia, puta, *Trinitatem Personarum in una essentia; Satis-*
factionem Redemptoris nostri Christi JEsu, &c. & protervè
negent & cum ludibrio rideant; Adeoq; mortem Chris-
ti non ex Divino aliquo decreto, sed fato tantùm ma-
lo, ut peregrinus incidit in latrones, factam, proin-
deq; nullum pro peccatis nostris λόγον esse potuisse,
statuant, quid quæso agunt aliud quàm ut universum
Religionis Christianæ systema uno impetu pervertant?
Certe, qui Deitatem & satisfactionem Christi negant,
Naturam & officium ejus impugnant, Christum de-
niq; prophetam tantùm & nudum internunciant
constituunt, Turcis hi quàm Christianis proprio-
res esse meritò, ut credo, dicantur: ut jam nihil di-
cam, quod principium cognitionis in rebus fidei, non
scripturam sacram habeant Sociniani, sed lumen natu-
ræ, juxta illud tritum inter eos dogma, Ratio est nostra
Religio, vid. Snaltz. in præfat. contra Frantziū: Pro-
indeq; si quid ex Scriptura recipiunt, ut concedi-
mus eos recipere, id hac tantùm lege faciunt, quate-
nus rationi congruum esse potuerit; Mysteria autem,
quæ percipi ratione nequeunt; nullam apud eos me-
rentur fidem. Quæ omnia infidelibus sunt quàm Hæ-
reticis

reticis convenientiora. Et tamen non ignoramus, fuisse quosdam, qui imperfectè fideles, dici eos posse voluerunt, eoq; ipso ab infidelibus esse separandos; quibus non magnoperè reluctamur; modò memores esse velint, se concedere, eosdem Socinianos tollere fundamentum fidei, puta S. Sanctam Trinitatem, destrue-
refundamentum Justitiæ, quod est Mediator, deniq; evertere etiam fundamentum spei, nempè corporum horum Resurrectionem: imo, ut paucis dicam, totius Religionis Christianæ animam quasi extinguere: unde facilè patebit, nimis quidem imperfectam fidem esse, quæ his tribui jure possit, etiam ex eorum confessione; Imperfecta enim Fides, legitima tamen Fides est; Nec quisquam cordatus & pius, in eo imperfectionem hanc consistere statuit, quod objectum principale rejiciat; Sed in eo tantùm, quod minus firmiter illud retineat, & tentatione incidente, facilius extingvatur. Quod autem objecti integritatem adinet; certè etiam fides maximè debilis, æqvè totum illud apprehendit atq; ea quæ robustissima est. Nempè huc deniq; tota res recidat oportet, ut dari Christianos velint sine Christo; quæ subtilitas cum major sit quàm à nobis capi ut possit, libenter eam suis relinquimus auctoribus.

§. XXV.

Quinam Errores fidei contrarii huc non pertineant, ex hæcenus dictis patuit: Jam ergo quot modis fidei opponi error possit dicendum: Et hoc quidem

dem in universum duobus fieri modis statuimus: Vel totam negando, ut fit in Apostasia & infidelitate negativa, in carentia fidei, ex defectu propositionis rerum fidei consistente: Et hoc modo errantes, in eadem sunt conditione cum illis, quos Esa. cap. 9. dicit ambulare in tenebris, & Zacharias Luc. I. Sedere in umbra mortis: Vel aliquam aut aliquas tantum Christianæ fidei veritates destruendo. Nos autem hoc loco non priorem sed posteriorem modum respicimus. Totam enim religionem Christianam non oppugnant aut negant Hæretici, sed vel unum vel plures Articulos fidei: Ideoq; cum fidei contrariam diximus esse Hæresim, non id secundum totam fidem, sed partem tantum illius, intellectum volumus.

§. XXVI.

Et tamen nec hi Errores ejusdem sunt prorsus conditionis, variant enim non raro plurimum; Nempe, dantur qui ex malitiâ errant, veritatemq; non tantum non sciunt, vel scire nolunt, sed & impugnant. Dantur etiam qui ex seductione & solo scientiæ defectu, quem tamen tollere laborarunt sedulo, à vero discedunt: Dantur deniq; alii, qui pariter malitiâ quidem nullâ, sed eodem defectu aberrant, ast cum junctâ negligentia: Inter hos ergo non exiguum esse dicimus discrimen, & tamē licet in posteriorib⁹ duobus maneat adhuc Error intra intellectum, quia nulla ad est, ut diximus, in illis malitia; Nihilominus utrumq; errorem eum esse imputabilem, maxime in dogmatibus

bus cardinalibus & summè necessariis si consistat, seriò contendimus: Idq; contra eos qui non ita pridem pacem desiderantes, ex hoc etiam principio, ab Hæreseos labe eximere aliquos laborarunt; Nimirum, quàm imputabilem constituat Paulus simplicem etiam ignorantiam, ut & eam quæ oppositum habet conjunctum sibi, sed in iis punctis quæ supra nominavimus, luculenter ex cap. 2. ad Eph. constat: cui addi potest, quod in V. Test. in Levit. non solum Sacrificia præscribebantur expiandis peccatis ex infirmitate admissis, quæ sæpe aliquam negligentiam includunt; Sed ibidem etiam aliæ oblationes mandatæ erant, ignorantia meræ expiandæ destinatæ. Quo etiam non male fortassis applicaretur illud Heb. 5. 2. ubi summus Pontifex noster, dicitur ideo infirmitate fuisse circumdatus, ut condolare possit iis qui *ignorant & errant*, hoc est, quocunq; tandem modo peccant, sive per scientiæ defectum, sive passionis impetum aut alia deniq; ratione. Et hoc punctum nisi diligenter defendamus, vix erit ut impiissima Remonstrantiû dogmata refellamus, quibus statuunt, Neminem ad obsequium fidei obligari, quin prius ita habeat intellectû evidentem informatû, de iis quæ credenda sunt, ut palpare ea possit, non minus quàm hoc; Currit, Ergo movetur: Hunc namq; illi Scripturæ Sacræ, literalem dicunt esse sensum, qui intellectui humano est convenientissimus; Quem ergo sensum intellectus non capit, non ille, ex hoc fundamento obligabit, nec error talis privativus, dicendus erit imputabilis. Ab hac via erronea, nec abesse longè videtur ille, qui in scripto aliquo Apologetico, non ita pridem

pridem edito, innoxias facit sententias eas, quarum vim ex consequenti fluentem, aliquis non dum capit: Puta, cum Reformati, in ipsa conversione quidem, expelli per peccata posse gratiam, non verò post eam concedunt; Sed tum aliquo saltem actu, & gratiâ ipsam, & ex ea proveniente fidem, manere reliquam contendunt; Nec capere se adhuc, ulla ratione posse, quem ad modum ritè solideq; inde deducatur in securitatem aliquod præcipitans dogma. Hoc ergo quidquid sit, & quàm grave sit, non imputari illis debere, ut nobis, & vim eam intelligentibus aliis, fraudi id esset futurum maximæ, si negaremus. Contra hæc talia ergo, immotum ratumque erit quod jam diximus, nempe, nullo modo licere, in iis quæ ad salutem præcisè sunt scitu necessaria, fidei implicitæ simplicitate, hoc est, ignorantia, semet involvere: Horum enim dogmatum, vel simplex ignorantia, absq; oppositis erroribus, etiam intra intellectum quatenus se continuerit, à salutis æternæ participatione prohibet arcetq; ; Esa. 8. 20. Eph. 4. 18. Rom: 9. ignorans modum justificandi, ad justitiam non pervenit. Mirari proinde satis non possumus Adzor: qui Tom. 1. l. 8. cap. 6. Negat rudi plebeculæ imputari posse quod fide explicita non credat mysterium S. Sanctæ Trinitatis, idq; ideo quia hoc percipere nequit, atq; satis esse si credat alios Articulos clariores, utpote filium Dei esse incarnatum. Ubi non satis patet quid intelligat per illud explicitè credere. Certè, si hoc vult, modum percipi debere, quo in unâ essentiâ divinâ tres sint personæ, tum hujusmodi quidem explicitâ fide, non rudes tantum, sed omnes omni-

omninò Christiani, etiam doctissimi, desituuntur: Nec ea tamen ignorantia illis imputatur, quippe quæ negativa est: At verò, si fidem explicitam rei, vult intelligendam, & non modi, illam contendimus utique requiri, quantum ad hoc punctum, ab omni Salvando, etiam maximè rudi, juxta illud Joh. 17. 3. Hæc est vita æterna &c. Sed & illud mirum videri potest, quod mysterium incarnationis, humano intellectui clarius esse Scribat, quam claritatem unde sibi aliisq; polliceatur, addere debuisset.

§. XXVII.

Non discedimus nostrâ hac sententiâ, ab iis quæ habet liber concordiæ in Præfat: ad hunc modum: *Nequaquam consilium est institutum nostrum est, eos qui ex animi simplicitate errant, nec in veritatem doctrinæ cælestis blasphemii sunt, damnare: Nam nec nos eos, quâ tales, damnamus, cum errores eorum in prædictis articulis imputari debere scribimus; Nec Electores & Status reliqui in nominata præfatione, ab omni prorsus vel labe, vel periculo exemptos volunt eos, quos in simplicitate errantes appellant.*

Ubitamen non negamus discrimen omninò esse faciendum inter simpliciter errantes & impugnantes, sed hoc volumus utrosq; errare, illos errorem simplicem, hos geminatum; nempe, primò ex ignorantia & cordis cæcitate, deinde propugnatione & defensione falsorum dogmatum.

Quando autem eorum improbamus sententiam, qui errorem negant imputari posse, quam diu in intellectu solo consistit, non intelligimus ignorantiam *negativam*, hoc est, earum rerum quæ nūspiam revelatæ extant, proindeque nec sciri possunt nec debent: Nam eam concedimus libenter non imputari; prout Adamo non imputabatur quod in statu integritatis Evangelica dogmata nescivit, quippe quæ temporibus miserimum ejus lapsus insecuta, erant distincta: Sed de *privativa* hoc accipimus, seu earum rerum, quas & potest homo & debet etiam cognoscere.

§. XXIX.

Pariter rejicimus sententiam eam, quæ omnem errorem ad voluntatem, solam verò ignorantiam ad intellectum referri Statuit: certum enim est, tam *errorem* quàm *ignorantiam Scientiæ* opponi; Illum contrariè, hanc privativè: Numirum, sicut scientia in solo est intellectu, ita etiam error, ut jam à nobis consideratur: Contraria namquè propriè dicta, qualia sunt scientia & error, circa idem subjectum, mutuo se expellunt: Proinde cum scientiæ subjectum non sit voluntas, ita neque esse potest erroris, sequatur licet, non raro, intellectum errantem. Et videntur illi hoc intendere, Errorem omnem cum malitiâ esse & ignorantiam quancumque absq; hac: quorum utrumque fallit. Et de ignorantia quidem non tantum cognitionis

tionis actualis, v. g. Articulorum fidei, quæ formaliter peccatum est, non aliter ac omissio alicujus actus debiti, alterius facultatis. Sed idem etiam de ignorantia cognitionis habitualis, contra Pontif: Urgemus, vid: Apol: Aug: Conf: p. m. 53. Nam ignorantiam in rebus divinis, quam diu in intellectu solo est, non magis habere inhonestatem, quam defectum visus & auditus, ut volunt Remons: & cum illis ut videtur Casp: tract: de peccat: tum demum nobis persuadebunt, cum vel in decalogo vel aliâ divinâ lege ostenderit vetitum esse cæcutire & surdum esse.

§. XXX.

Quod diximus multum abesse errores ex scientiæ defectu quidem ortos, sed qui adjunctam negligentiam habent, ab illis erroribus in quibus nulla talis reperitur, obvium id esse credimus: Qui namque non impedit quod possit & debeat; vel saltem *non conatur impedire quantum potest & debet*, huic indirecta illius effecti intentio, merito imputatur; Dixi qui non conatur quantum potest; Interdum enim contingit, scimus, ut vel omni conatu & industriâ non possit aliquis effectum impedire: Tamen quia tenetur in eam curam incumbere, ideo hoc nisi præstiterit, usque ad eò certè in culpa est, ut ex hac indirectâ intensione, *quædam ignorantia voluntaria* sit dicenda: Nempè, in quantum non nulli nimium negligentes, ab eâ liberari, nullam adhibent operam, quod tamen facile possent. Et huc spectat quod scribit Arist. lib, 3. Eth. Cap. 7. *Eos*

quoque puniunt qui aliquid eorum ignorant, quæ ad leges pertinent: Quæ quidem & scire debeant & difficilia non sint: Simili modo etiam in aliis, quacunque ignorare per negligentiam videntur, eò quod in ipsis sit non ignorare, quippe qui adhibenda diligentia Domini sint, & potestatem habeant. Vanissimum itaque est quod scribit, Anton de Mend: Non solum ignorantia simplex excusat ab hæresi, sed etiam adfectata, si adfectatur ex tædio discendi, non autem ex opinione quod parvi sint momenti quæ credenda proponuntur: Rationem addit thesi suæ non absimilem, nempe quia hoc modo ignorans, non spernit auctoritatem ecclesiæ vel etiam ipsius Dei, quamvis delinquat negligendo scire quæ debebat: Quasi tædium discendi esse posset in eo, qui & maximi facit & impensè amat id, quod proponitur; Aut tædium dici posset ea habitudo animi, quæ ita perpetua est & durans, ut ignorantiam tantam inducat: Aut deniquè divinam is dignè venerari dicendus sit auctoritatem, qui scire negligit ea, quæ scire tenetur? Et tamen sui immemor, adfectatam describit ita, ut sit ea, quæ quis data opera aliquid vult ignorare

§. XXXI.

Supra diximus hæresin esse errorem fidei contrarium, An autem desertâ veritate, quam antea fuerat professus, novam ex parte, eligere debeat sententiam is, qui Hæreticus possit dici; An verò à primâ ætate erroneis dogmatibus esse debeat infectus, non usquè adeò referre arbitramur, ad hoc quidem de quo nunc inquirimus; cum utrumq; & factum esse, & fieri adhuc

adhuc hodiequē posse, non dubitamus; Nec obstat id, quod Baptizatum esse, in requisitis hæresibus antea posuimus, quippe quod à tenerâ etiam infantiâ, in hæresi infectâ congregatione obtinueri potest ut notum est. Nihil inquam refert an sponte suâ hæresim quis adsumat, an nascendi sorte quasi hæreditariam habeat, quantum ad hoc, an quis ullo modo Hæreticus sit dicendus: sic enim in latitudine universâ rem consideramus; Alias refert plurimum si de formali tantum hæresi sermo instituat, tum enim desertio veritatis utiq; adierit oportet, hoc modo namq; qui Hæreticus est exivisse ex ecclesia dicendus est, non equidem egressione locali, quod non volumus, ut infrâ dicemus, (adhærere etenim Scimus gangrænam non raro corpori, illudq; maculare) attamen egressione ea, quæ confessionis est & communicacionis. Refert quoque plurimum si culpam ipsam intuemur, & difficultatem elabendi, erroremque cognoscendi cogitamus; Quævis namquē consveta facilius quis sibi exuit, quantumvis etiam illis fuerit adfixus, quam ea quæ dogmatum sunt: unde ita de hac re in *Epist. ad Corinth.* Scribit Chrysofoston: *Ubi consuetudo in dogmata incidit, multò fit immobilior, nihil enim est quod non facilius homo mutat quam ea quæ religionis sunt.* Obest heic, non tantum tenerri- mus amor suorum, sed & auctoritas eorum qui docere se profitentur, desinunt etenim, ut scimus, discentes suum adhibere iudicium, in religionis negatio, idquē habent ratum quod ab iis quos probant, vident iudicatum, ut scribit *de natura Deorum Cic: l. 1.* Et tamen hoc modo admodum multos, licet non scientes, hæresi

involvi, frustra est qui negare voluerit; Ut ita pateat nos in definitione hæreseos supra datâ, etiam hunc conceptum non sine gravi ratione adposuisse, quod etiam de reliquis ostendemus infra.

§. XXXII.

Ad hunc modum qui erronea fidei dogmata cum lacte materno imbiberat, mitiorem utiq; ille sustinere debet censuram, quàm illi qui proprio arbitrio in tantum ruunt malum, idq; non raro, ut scimus, temporalis commodi, vanæq; gloriæ & noxiæ voluptatis causa, quos omnes Hæreticorum nomine, vel præcipue compellandos voluit alicubi Augustinus. Et tamen, quamvis priorum illorum noxam leviolem statuamus, inculpabilem tamen ignorantiam esse, in sterili habitu consistentem, à quo nec actus mali resulent nec cessatio præcepti alicujus boni, quæ est sapientia *Anthon, de Mend.* absit ut adseramus. Pariter in idoneam statuimus esse illius excusationem à *Thoma Brovun* in Relig. Medi. Sect. 2. Adlatam, ubi vult quemque promiscuè religione patriæ adstringi: Sic enim loquitur: *Datur sicut terrarum; ita etiam Religionem quadam Geographia, quâ non tantum finibus suis distinguuntur terra & regiones, sed & qua fidei doctrina, suis circumscribuntur canonibus.* Absit absit longissimè ut hæc probemus: Ita namquè religio divina esse desineret & tota quanta est, humano subjiceretur imperio, quod præter atheos nemo statuerit unquam. Et tamen suam hanc facere expresse sententiam qui ficto nomi-

ne non ita pridem prodiit Luc. Annal. Conf: non dubitavit, protervè urgens nihil in rebus religionis reperiri, quod non Pro Deorum (ita illi Reges dicuntur & alii quibus suprema est commissa potestas) nutui est submissam, de qua impietate nihil hoc loco dicam amplius. Sed illum Brov. quod attinet, eum quidem nemo quam propria illius patria refutabit in hoc puncto rectius, quæ certis licet, iisq; non prolixissimis comprehendatur terminis, religionum tamen secum vigentium, inire in hunc usq; diem, nunquam potuerat numerum.

§. XXXIII.

De jure certe si loquendum erit, h. e. an debeat quis qualicumq; patriæ religioni acquiescere, an vero sollicitè inquirere, num aliquid illa habeat erroris? per se est obvium: Quid enim vel iniquius est vel intutius, quam soli regioni primæqvè institutioni qualicumq;, animæ salutem committere, ita ut his præjudicis detentus, in veritatem nihil inquiras amplius, iis satis habens quæ incautâ mente primo imbiberas, quæq; accedens ex educatione confirmatio roborarat? Ego quidem tanto Majore obligatione ad examen hoc adstringi quemq; crediderim, quanto in rebus fidei majorem & ortam esse & oriri hodieq; diversitatem, intelligamus. Ex Scriptura equidem Sacra, oritur esse hæreses varias, id discimus abundè, abolendas autem easdem esse, ut ita cum minuto earum numero, minutum quoq; fore vitandum periculum, id nusquam
infi-

insinuant sacrae literae. Imò tantam potius tamq; bonam earundem copiam, ad finem usq; Seculi super futuram prædixerunt, ut reliquiae ulli sint in glorioso Salvatoris adventu fideles, sincerè tales, & non ex parte credentes, quales sunt hæretici, id Luc. 18. 8. Interrogative insinuat. Adeoq; raritatem recte credentium pieq; viventium, satis ita clare demonstrant. Nam omnimodam in illo loco fidei deletionem ostendi, ut more suo, perversè inferunt Photiniani, id quidem negamus. Conferri potest quod rem attinet ipsam locus 1. Tim. 4. 1. Et quod ad sermonis figuram Esa. cap. 53. 1. 1. Sam. 2. 25.

§. XXXIV.

Teneri ergo quemq;, cui vivendi spacium fuerit concessum, diligenter inquirere, qualis sit eorum quos inter natus est religio, accurateq; excutere num hæresi ulla sit infecta, facile quemq; monebit, præter ignes fatuos quos circumlucentes modò monstrabamus, etiam animi tranquillitas, quam cordatus nemo hac sola niti posse ratione dixerit, quod secundum leges patrias, nullo præmissu examine, sacris ne illæ literis congruæ sint vel minus, DEum colat: Etiam tum cum rectius fortassis sapit ipse, tantum ne antiqua damnare videatur. Hæc enim est si alia ulla periculosissima verecundia gravissimaq; servitus, cujus vinculis ut involuti, omnes semet exoluant, divinitus invitantur per Esa. 45. 22. cui invitationi nisi paruerit errantes, inexcusabiles utiq; futuri sunt

Error

Η τῶν τρόπων εὐταξία τε καὶ εὐλικρίνεια σέ, κράτιστε Ααρὼν Ροσή-
 λιε, διὰ τῆς ἡδυατοῦς ἐμοὶ ἐγνωρισμένης ὀμιλίας ὡδρακαλεῖ με
 κατὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς φιλίαν καθῆκον σοὶ τῆ ἐπιγράμμασι εὐδαιμων-
 νίας συγχαίρειν, καιρὸν ὡδρατικευάζειν παροῦ τῆ ἀσκήματι
 περὶ Αἰρέσεως, ὑποθέσεως μὴ χαλεπῆς τε καὶ ἀναγκαῖας. Τῆς γνώ-
 μης καὶ ἀληθείας ὁδὸν ἀφαρμαρτανέσας, δόξας καὶ ὑπολήψεις ἀλλῶ-
 αθ' δεδαῶς, ὀρθοποδεῖν δύνασθαι πρὸς τὴν ἀλήθειαν χαλεπὸν μὴ
 τὸ ἀλλὰ τῆ θεῖα βοήθεια. (ἢ ἔδενι ἐπαίῳ ἀπαρνεῖται, ἔδενα
 ζῆλον ἐπλείπει) καὶ ἀδιαλείπτω πόνῳ κῆρασθαι πρέφυκε. Τὴν ἀναγ-
 καιότητα ἐλέγξεως αἰρέσεων ἐπίδεικνύσι αἱ τε πικρὰ τῆ Πνεύμα-
 τὸ Ἄγιον ἐν γραφαῖς λαλῶντι ὡδραίνεσι τῆ ὡδρατικῆσθαι τῆς
 αἰρετικῆς, καὶ κίνδυνον μέγας, ὅς ἀπ' αὐτῶν ἐπίκειται, εἴ μὴ
 ἐλεγχθῶσι. Κάλιστα ἐν μέλει σοὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων, ἀγωνιζομένων
 περὶ γραμμάτων ἔτασ ἀναγκαῖων, καὶ ἐπιμέλειαν ποιῶντι, ἵνα ἐπιτολῆς
 θεῖας ὑπακούσας τοῖς τῶν αἰρετικῶν τεχνῶν καὶ πανουργίας δύνῃ κατηγο-
 ρεῖν καὶ κατελέγχειν, τὴν τε ἀληθῆ ἐκ θεῖα ῥήματι γνῶμην ἐκφέρειν.
 Ὁ θεὸς χρηστότητι πατρὸς εὐφημείτω ταῖς ἐπιβολαῖς σε καλοκα-
 γηταῖς, καὶ ὁ μὲν ἤρξατο ἐν σοὶ καλὸν ἔργον, ἀυξήσαι κατ' ἡμέ-
 ραν καὶ κατευθύναι εἰς τέλος ἑαυτῷ μὲν δεκτὸν, πατρὶδι καὶ σοὶ
 ὠφέλιμον.

Αὐτογραφεῖα ἐγράψε
 PAULUS HEINTZIUS.

Literarum & Morum culturâ Præstantissimo juveni,

DN. AARON ROSELIO, Populari & amico
 per dilecto, de HÆRESI doctè disputaturo;

CArmina pervellem, Roseli, fundere digna,
 Dotibus ingenii, Sympatriota, Tuis!

Ingenio Numen quia Te donârit acuto,

Tu soboles merito Pallados ipsa cluis:

Summa quòd à teneris inita est tibi gratia Musis,

Et vario pectus Pallados arte nitet,

Excultum in Patriis, Wiburgi Aboæq; Lycæis,
Doctrinæ studiis, moribus eximiis.

Indolis egregiæ famam nunc gymnade doctâ
Abogiæ pergis spargere, laude tuâ.

Discernens paleas puro de Semine Christi,
Hæreticos propriis exprimis arte notis.

Pergere sic pergas, in vitâ pergito prosper;

Tutari ut jovæ dogmata sana queas!

Et teneram plebem, tum Sancti regna Jehovah
Ædificare queas, dotibus ingenii!

Et satanæ gentem, jugis quæ perstat in armis,
Erroremq; citus voce ferire gravi.

Signa tuæ monstrant hoc mentis candida; jure
Ingenium solers gratulor ergo Tibi!

Nestoreos vigeat tibi quò post nomen in annos,
Pectore & ore precor: vive valeq; bene!

Ita gratulari voluit

ANDREAS MOLANDER.

Prop. Sedulus Aoniis quisquis mersatur in undis,
Pegaseoq; sitim gessit de fonte levare,
Hunc jubet è nebulis oculos attollere Pallas.

Assumpt. Fervidus hoc præstas; Tua dissertatio monstrat:

Concl. Castalides tollent igitur te in culmina Pimplæ.

Hoc syllogismo festinus gratulabatur

SIMON PAULINUS Finland.